



L. N. I.  
DISSERTATIO MEDICA  
DE

MORBIS  
CONCIONATORVM,

ILLVSTRIS FACVLTATIS MEDICÆ  
IN ALMA SALANA  
CONSENSV,

PRÆSIDE

ERNESTO HENRICO  
WEDELIO,

PHIL. ET MED. DOCTORE,  
MEDICO PROVINCIALI SAXO - VINARIENSI,  
CIVITATISQVE IENENSIS PHYSICO,

PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SVO VENERANDO,

ANNO MDCCC A. D. 23. AVGVSTI,  
IN AVDITORIO MEDICO,

Horis consuetis,

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI PROPOSITA

IOHANNE HENRICO SALMVTH,  
IESNITZIO - ANHALTINO.

HTVMJAC RV A&R. JOHANNES HENRICH SALMVTH

---

IENÆ, Literis CHRISTOPHORI KREBSII.

ANNO MDCCC VII.



Post DEVM

T. O. T. M.

VIRO

ADMODVM REVERENDO

GODOFREDO  
HENRICO SALMVTH,

PASTORI ECCLESIAE IESNITZENSIS PRIMARIO

PARENTI SVO

OMNI PIETATIS CVLTV

ÆTERNVM PROSEQVENDO

HOC STVDII MEDICI SPECIMEN

DE MORBIS CONCIONATORVM

FILIALI OBSERVANTIA

D. D. D.

IOHANNES HENRICVS SALMVTH.





I. N. I.


## PROEVIUM.

**N**eminem Christianorum, nisi qui plane ho-  
spes in sacris literis est, latere arbitramur, a  
quod Sacerdotes Veteris Testamenti, a  
summo Numine. Iudices morborum, & in-  
primis lepræ, in populo Israelitico constituti fuerint;  
de quo *Leuit. c. XIII. v. 2. & seq.* legi poterit. Quinimo  
Prophetæ non raro medici officium, Dei iussu, in-  
curandis morbis subierunt. Sic Naeman leprosus  
Elisæ consilio in integrum est restitutus; Et ipse Rex  
Hiskia, lethali morbo correptus, naturali remedio  
adhibito, quod Propheta Esaias applicari suaserat, ite-  
rum conualuit. Non minus in Ecclesia Noui Testa-  
menti primitus constituenda, & confirmanda inter  
miraculosa signa, diuinitus verbi Dei præconibus  
concessa, a *Marco cap. XVI. v. 18.* numeratur impositio  
manuum super ægrotantes, vt per illam a morbis li-  
berentur. Occurrunt tamen etiam in diuinis mo-  
numentis exempla, e quibus ipsos sacrorum Antisti-  
tes cum morbis conflictasse elucet, id quod Elisæ  
*2. Reg. XIII. v. 14.* & Timothei aduersa valetudo *1. Ti-  
moth. v. v. 23.* inter alia testatur. Equidem mira-  
culosa ista morborum sanatio, confirmata iam Eccle-  
sia, desit, neque facile hodie ministri verbi diuini,  
corporis humani ægrotudines curandas suscipiunt, ex-  
ceptis

4                      DISSERTATIO MEDICA

ceptis illis, qui falcem in alienam messem immittunt, cum magis, quæ ad salutem animarum necessaria sunt, ægrotantibus proponere, & exhibere debeant. Sed alterum, quod ipsi concionatores variis morbis hominum sint obnoxii, ob quos sæpius auxilium medici expetere coguntur, illud non simplex loquitur experientia, quam nec ratio destituit. Sunt enim homines, adeoque humani, quod hoc loco valetudinem attinet, ab ipsis nil alienum putandum est. Præterea vitæ, munerisque ratio, cui dediti sunt concionatores, iniquæ valetudini non raro aperire solent fores. Constituimus itaque, de MORBIS CONCIONATORVM, pro ingenii tenuitate, publica Dissertatione specimen studii medici exhibere, quibus nostris conatibus IESV, Archiepiscopo & Archiater, diuina tua gratia clementer velis adspirare, deuote precamur.

§. I.

cutissimus Scaliger in Exercit. 307. §. 32. refert morbum ad Græcorum profapiam, vbi quasi *μὲγς* *ἔλις*, infortunium vitæ salutatur. Concionatoris vero nomen etymologiam suam debet Latinis fontibus, atque deriuatur a concione, cui vocabulo *A. Gellius lib. XVIII. cap. 7.* triplicem assignat sensum, quo locum suggestumque, vnde verba fiebant, item cœtum populi assistentis, nec non orationem ipsam, quæ ad populum dicebatur, significat. Appellati igitur sunt concionatores a concionibus, seu orationibus habendis, vel quod verba coram populo fundere soleant. Nonnunquam sumitur hæc vox in deteriori significatione, qua de concitatoribus, qui seditiones mouent, turbasque in populo exci-

DE MORBIS CONCIONATORVM.

excitant, prædicatur, quo sensu vsus Cicero 4. *Catilin.* cap. 5. Intellectum est, *inquiens*, quid interesset inter leuitatem concionatorum, & animum vere popularem, saluti populi consulentem. Tales maleferiatos homines hoc loco per concionatores non intelligimus, sed oratores sacros, verbum Dei populo explanantes. Synonymiam quod attinet, potuissimus Thema nostrum insignire titulo: de aduersa valetudine ministrorum Ecclesiaz, vt plura omittamus, e Philologorum scriniis huc petenda.

§. 2. Enimuero sub nomine horum morborum, latissima vocis acceptione, venire possunt omnes ac singula ægrotationes, quibus verbi diuini præcones pariter, ac alii homines affliguntur, ob communem penam, a diuina Nemese genti humanæ vniuersæ immisam. Mortalis nemo est, quem non attingat dolor, morbusque, ait Romanæ eloquentiæ parens. De omnibus tamen humanæ vitæ morbis, vt iam dicere nil attinet, ita neque ex professo prolixum faciemus sermonem, de imbecillitatibus, quibus literatorum corpora communiter obruuntur, quædam tantum delibaturi de affectibus morbofis, qui e concionatorum officio, & viuendi modo magis deriuantur, aut saltem ad eorum functiones frequentius obesse solent.

§. 3. Ne vero corticem lambendo nucleum intactum relinquamus, statim subiungere placet DEFINITIONEM sequentem, quæ dicendis lucem affundet copiosiore. Sunt itaque morbi concionatorum affectus præternaturales, quibus verba ad populum facere soliti oratores sacri plerumque subiecti esse solent, eorumque competentes officii actiones, pro diuerso læsionis gradu, magis vel minus impediuntur, ab ipsorum vitæ genere præcipue magnam partem prouenientes.

§. 4. GENERIS locum tuetur affectus præternaturalis. Afficit enim morbus non minus, atque sanitas, corpus nostrum, illudque varie alterat, diuerso tamen respectu, vade ille *Galeo* dicitur *Ἰσχυρὸς καὶ ἰσχυρὸς*, hæc *ἰσχυρὸς καὶ ἰσχυρὸς*, adeoque illa contraria est rebus naturalibus, quæ sanitatem in vigore conseruant. Commune est hoc genus non tantum morbis omnibus, etiam qui aliud vitæ genus profitentur, homines affligentibus, sed & reliquis rebus præternaturalibus, causæ morbificæ, & symptomati, quæ in eadem actiones, sed non primo, & immediate lædunt.

§. 5. Reliqua, quæ in Definitione sequuntur, DIFFERENTIAM absoluunt, desumptam a SVBIECTO, cui inhære solent isti morbi, & quod, si vitæ atque officii rationem spectaueris, a reliquis hominibus distinctum est. Constituunt autem illud concionatores, qui dum voluntatem Dei populo explanant, nec non animarum salutem hoc ipso procurare student, ob varias infra dicendas causas, aduersa valetudine haud infrequenter afficiuntur, vt quas muneris postulat ratio actiones ægre, & cum molestia, vel plane non possint exercere.

§. 6. Hi certe commiseratione eo digniores existunt, quod nulla recenseri possit morborum species, quas tamen medicorum volumina in prolixo catalogo exhibent, a quorum impetu immunes permaneant. Hinc bene ac sapienter non nemo aiebat: Concionatores e vita abeuntes, præter bonam conscientiam, & malam valetudinem, nihil secum auferre. Quemadmodum enim de partium solidarum, fluidarum, & spirituosarum morbis res in propatulo est: ita nullus in dubium vocabit, totius corporis compagem sæpissime vniuersa, labe infectam esse. Non infrequentes sunt concionatoribus morbi intemperiei, nec excluduntur conforma-

tionis,



tionis, & solutz unitatis. Alii morbi in prædicatoribus sacris sunt acuti, alii chronici, hi tamen frequentius videntur præ illis. Reliquas, innumeras fere, morborum differentias hic enumerare, superfluum existimamus.

§. 7. Eorum vero, quos paulo post recensebimus, affectuum præternaturalium CAUSÆ IMMEDIATE, a quibus dependent, pro diuersitate eorundem variant, & ex pathologicis facile huc referri, & singulis applicari poterunt. CAUSÆ MEDIATÆ PROXIMIORES, tam quoad essentiam, humorosæ & vaporosæ, quam quoad essendi modum, in plethora, & cacochymia varia, dum humores, non emissis vaporibus, & flatibus, quantitate, qualitate, vel motu peccant, mirum quantum conferunt ad producendos morbos in concionatoribus, quibus illi vexantur.

§. 8. Latius paulo considerandæ veniunt CAUSÆ REMOTIORES, quas interprehenduntur res supranaturales, naturales & nonnaturales. SUPRANATVRALIVM primaria est DEVS, qui dispensatoribus mysteriorum suorum aliquando immittit morbos, qui ipsos commonefaciant de colenda humilitate, ne fastu turgescant, de manifestatis sibi arcanis diuinis, vanum in modum glorientur, quod paxillus carnis D. Pauli aperte testatur. Nonnunquam iustissimum Numen populum, ob enormia perpetrata flagitia, pœna afficere intendens, concionatores per morbum quandam præuium, beata morte ad se vocat, quo calamitates futuras videre, vel cum sceleratis perire ipsos non oporteat. Interdum Diabolus, & qui eum venerantur, magi, sagæque, permissu diuino, hos animarum nostrarum custodes laqueis morborum irretire conantur. Ex NATVRALIBVS in primis ÆTAS in aliquibus consideranda venit, quod ad morbos dispositionem inferat.

§. 9. Præcipue huc quadrant res NON NATVRALES dictæ, in quarum usu potissimum causa variarum calamitatum,  
in

in valetudine concionatorum obseruatarum, radicari videtur. Quamobrem etiam ab ipsorum VITÆ GENERE morbos istos, si non omnes, saltem magna ex parte provenire in Definitione pronunciauimus.

§. 10. AERIS vsu, vti & alii homines, carere nequeunt concionatores, imo non facile semper præcauere possunt sibi ab alterationibus, pro diuerso aeris statu, inde prouenientibus. Opus habent aere non solum, vt in illo viuant, ambiente totum corpus, & respirationi iuxta ac ventilationi sanguinis inserviiente, sed & ad vocem edendam in illis maxime requiritur. Aer vero variis qualitatibus infectus, cum corpori easdem solet communicare, si dispositio iamdum adfuerit, facile morbum aliquem producere poterit.

§. 11. Postulat enim officii ratio, vt præcones vbi diuini statuto tempore conciones habeant in templis, quicumque aeris status fuerit, quem non semper ita comparatum esse, vt temperamento, & sanitati cuiuslibet concionatoris conueniens sit, nemo forsan negauerit. Inprimis hyemali tempore frigidus aer, cui caput, plerumque discoopertum, atque pectus in inspiratione exponuntur, vt de reliquo corpore nihil dicamus, alterationes morbosas facile solet inducere, constringendo, & findendo fibras varias, poros item occludendo, & humores incrassando. Calido e contrario nimis aere calescit corpus, dissoluuntur, liquantur, nec non attenuantur humores, bilis augetur, & acuitur, spiritus magis incenduntur, ac debilitantur. Non pauciora mala humida aeris tempestas creat, qua humores superflui, & excrementitii cumulantur, calor natius obtunditur, inprimis si frigiditas adiungatur, vbi cruditates atque defluxiones catarrhales obseruantur. Siccior etiam aeris status corpus marcidum reddit, humido necessario absumpto,

§. 12.

§. 12. Notum præterea est, templa, in quibus conciones habendæ, non semper prope domum concionatoris sita esse, sed aliquando prolixiore paulo via, præfertim in pagis, distare. Cum itaque tempus constitutum accesserit, illuc abire, mala licet tempestate, & nunquam peregre proficisci necessum habent.

§. 13. Ad aeris alterationem morbificam referri quoque poterit periculum illud, quod subeunt, dum ad ægros morbis contagiosis affectos requiruntur, ubi ob exhalationes, miasmata maligna eundem inficiunt, quæ a corpore disposito suscepta, facile similem tragediam inibi ludere solent, nisi debito regimine sollicitè prospiciatur, & caueatur, de quo inferius.

§. 14. Nonnulli concionatorum a cibo tamdiu abstinent, si oratio habenda sit, donec ista paracta, liberi animo comedere possint; quod tamen aliquando post meridiem, & ultra protrahitur, ne scilicet cogitationes turbentur a coctione ciborum, vel torpidiores euadant spiritus. Quid? quod etiam aliqui ante concionem, ad alacriores reddendos spiritus, potu herbarum largius utantur, & si quæ forsan alia, apud ipsos circa dietam hanc obseruare liceat, a quibus plus iusto continuatis, non raro læditur sanitas, atque emergunt, varia mala. Natura enim est ordinis amans, adhibitis vero eiusmodi, citra consilium sanitatis, inordinationibus, hæc salua nequit persistere.

§. 15. Qui vitæ sedentariæ, aut quæ peior hacce, statariæ dediti sunt, quando studiis ac meditationibus incumbunt, nisi corporis ista quies inquieta exercitatione membrorum suavi temperetur, in illis collectio fit humorum alias excernendorum, utpote inutilium, generantur cruditates, atque corpus segne & debile obseruatur. Hinc non possunt non variæ obstructions viscerum oriri, ipsumque malum hypochondriacum propullulare.

B

§. 16.

§. 16. Neque obstat, quod inter concionandum non solum gestibus manus nonnihil moueantur, sed & ipsum pectus per loquelam satis exerceri videatur. Vltimum enim hoc, cum templum capacius voce clara replere volunt, non citra aliquam violentiam perficiunt, atque ex hoc fonte etiam aliis inde oriundis morbis ansam præbent, quibus affici solent. Præterea hic motus magis particularis videtur, reliquo corpore pedibus innixio, atque immoto persistente. Dum etiam, ut in plerisque locis moris est, stantes concionantur, eo ipso spiritus animales lassantur magis, totumque corpus debilitatur.

§. 17. Ad defectum MOTVS, defectus SOMNI accedit, dum lucubrationibus in multam noctem orationes suas pro concione habendas conficere, & expolire confueuerunt, ut inde superius memorata passio hypochondriaca, vna cum reliquis symptomatibus eo promptius illos corripiat. Illud etiam frequenter ipsis accidit, quod media nocte, ad infantes agonizantes baptizandos, vel alios ægros visitandos accersantur, corpore studiis, curisque emaciato, vix super lectum strato.

§. 18. Neque immunes sunt, quin aliquando transpiratio in ius inhibeat aeri frigidiori expositis. Quantum vero ab hac EXCRETIONE impedita damnum in massam sanguineam, corpusque vniuersum redundet, satis superque notum est. E contrario æstuante nimium sole, & templo maxima hominum multitudine repleto, sudores copiosiores a facie, & reliquis corporis partibus, manare deprehenduntur, quibus multum debilitantur vires, id quod etiam sæpius frigida admodum, & hyemali aeris tempestate ipsis accidit. Easdem miseras, si non maiores, a reliquis RETENTIS, quæ quidem naturali ordine excerni debebant, non item a concionatoribus, verba ad cœtum facientibus excerni queunt, timere debemus.

§. 19.

§. 19. Nonne etiam ANIMI PATHEMATA, in vita & officio concionatorum quandoque conspicua, ob varios casus, diuersamque hominum indolem, quorum saluti inuigilare ipsos oportet, multum conferre poterunt, vt sæpe valetudine minus prospera, eiusmodi pastores Ecclesiæ gaudeant? Horum certe videtur mentionem fecisse Paulus Apostolus, qui *Thessalonicenses in Epistola 1. ad ipsos exorta cap. 2. v. 9.* ita alloquitur: *Μνημονεύετε τὸν κόπον ἡμῶν καὶ τὸν μόχθον.* Meministis laboris nostri, ac ærumæ, nocte & die operando, prædicauimus apud vos Euangelium Dei. Velenim concentrant hi animi affectus spiritus, & reliquis humoribus circulantibus moram aliqualem iniiciunt, vnde omnes actiones in machina nostra, aura spiritiuosa destitunt, languent, vel efferatos nimis eosdem faciunt, vt ita plurimis morbis via sternatur.

§. 20. Qui ex hæcenus enumeratis, aliisque causis proueniunt morbi, eos omnes longo ordine hic referre, & superfluum, & præter instituti rationem esse putamus, potiores itaque, & frequentiores feligendi erunt. In his recensendis seruabimus methodum, ab Anatomicis vsurpatam, quando truncum in tres dissecunt, ventres; scilicet a ventris infimi, vbi plurimorum seminis morborum est, imbecillitatibus exordiemur, & postquam thoracis vitia perstrinxerimus, in enarrandis capitibus affectibus finem faciemus.

§. 21. In ventre infimo, viscera partim chylicationi, partim sanguinis depurationi inseruientia continente, plura mala consurgere obseruantur, quæ concionatorum valetudinem minus prosperam efficiunt, idque eo magis, quo verius illud deprehenditur, quod vitium primæ coctionis non corrigatur in secunda, multo minus in tertia, sed magis multiplicetur illud, vires-

que acquirat eundo. Hac de causa hæc infima corporis regio, non tantum locus certorum morborum esse solet, sed & focus atque scaturigo causarum, a quibus plerique affectus præternaturales, in reliquis ventribus, nec non toto corpore visendi, deriari queunt.

§. 22. Ventriculum quod attinet, sæpius COCTIONE LESA & CRVDITATIBVS molestias creare solet concionatoribus, quando ob lubricationes, subtilissimam spirituum structuram infirmant, qui tamen ad coctionis opus recte peragendum requirebantur. His defectus motus, maximopere ab Hippocrate lib. 1. de diæta cap. 1. & 18. commendati, non minus atque aliæ supra iam datæ causæ multum adferunt momenti, vt, euolutione chyli debita impedita, resolutio & euaporatio assumptorum, non rite succedant.

§. 23. Vnde iam acido fixiori exsuperante in ventriculo, quo fermentum ipsius inquinatum est, quodque in eiusdem pariter, ac intestinorum plicis commoratur, CRVDITAS ACIDA confurgit. In NIDOROSA vero particule biliosæ sulphureæ prædominantes, cibos in liquamen putridum transmutant. Quod si assumpta, loco chyli laudabilis, in massam mucosam & viscidam coagulentur, vestigia adsunt CRVDITATIS PITUITOSÆ, quæ tamen non raro de alterutra cruditate, acida vel nidorosa, aliquid participare deprehenditur.

§. 24. Ex hoc fonte postmodum emanant inflationes abdominis, & DOLORS COLICI, imprimis tempore brumali conspicui, quo propter frigoris inclementiam, calor naturalis ad interiora retrocedere cogitur, qui ita concentratus, validius iusto in contenta intestinorum, agit, ea volatilizando, vt vapores inde confurgere necessum sit. Ex his producti flatus a debiliore reddito eodem, quam vt dissipare possit, quasituri sibi exitum, hinc & illinc oberrant, sicque non possunt non disten-

DE MORBIS CONCIONATORVM. 13

distendere delicatas intestinorum fibrillas, ex quarum rptionis metu tristis ac dolorifica idea animæ imprimitur.

§. 24. Reliqua etiam viscera, vitio in massam sanguinis redundante, δυσκροσία afficiuntur, atque obstructiones mesenterii, lienis, hepatis, pancreatis oriuntur, a sanguine per eadem circulare inepto, nec non eiusdem particulis salino-tartareis, sese meatibus vasorum tenerioribus affigentibus. Horum mechanica conformatio, consistens, v. g. in liene, in iusta configuratione cellularum a *Malpighio* detectarum, si simul læsa aliquantum fuerit, ob spiritus paucos in eorundem fibrillulas influentes, malum eo grauius est reputandum.

§. 25. Ex his ratio facile elici potest, quare plures concionatorum, AFFECTV HYPOCHONDRIACO laborantes deprehendantur, cum ab enumeratis hæcenus provenire soleat, siue illum iam in vita Academica acquisierint, siue postmodum in officio constitutis illis accesserit.

§. 26. Non infrequenter concionatoribus SCORBUTVS accidit, qui tanquam affectus cum priori symbolicus, quoniam gradu solum eminentiore differt, ab iisdem causis producitur. Hic ipse variorum morborum mater existit fecundissima, ut ob illos officii actiones debito modo exerceri sæpe nequeant. Horum symptomatibus innumeris enarrandis superfedebimus, utpote quæ in Practicorum libris videri possunt, & ex quotidiana experientia, atque obseruatione satis superque edocentur. Sicubi tamen in sequentibus affectus præternaturalis occurrat, ab hacce causa potissimum arcessendus, illud monere non intermittemus.

§. 28. Inter concionatorum morbos in abdomine quoque militat HERNIA, facilius illos inuadens, qui tene-

rioris sunt constitutionis, vel habitus corporis, & nihilominus sonoro atque concitato sermone corpus fortiter concutiunt. Hinc sæpenumero pressione impulsiva, versus inferiora facta, vel tensione fortiori peritonæi, relaxatur aut disrumpitur illud, quod sicut intestina intra limites antea coercerat, ita eorum in scrotum, inguina, vel alibi effusioni minime iam viam intercludere valet. Quod si frigus accesserit, vel alia de causa fiat, ut incarcerationio scybalorum in intestinis accidat, facillime ileum inde oboriri posse liquet.

§. 29. Hi, quos recensuimus, morbi plurimas ægritudines atque calamitates suggerunt visceribus thoracis, quæ duo potissimum numerantur, mutuam sibi inuicem operam præstantia, nec non ad vocem edendam, ut & vitam sustentandam necessaria, videlicet cor, & pulmones, hinc duplex quoque morborum species inibi deprehenditur; vel enim pulmones, & quæ ad ipsos pertinent, magis labe afficiuntur, vel ipsum cor primario morbos sustinet.

§. 30. Inter hos sæpissime notatur PALPITATIO CORDIS, quæ scorbuticis & hypochondriacis frequens & familiaris esse solet, ab intentata sanguinis grumescencia oriunda. In illis enim massa sanguinea, ex visceribus infimi ventris, minus recte se habentibus, eiusmodi characterem & dispositionem accipit, non separatis sufficienter particulis acidis, constrictiuis, fixentibus, nec non crassioribus, ut in corde, ubi non nihil rareferi, & nouo calore imbui debebat, coagulationem aliqualem, seu grumescenciam potius patiat, ad quam superandam cor repetitis frequentius contractionibus insurgit. Nam sanguis, solis subtilioribus particulis transitu patente, magna ex parte in ventriculos regurgitat, & apertionem valuularum prohibet, ut fortiori, & iterata pulsione, ad eas recludendas opus sit.



fit. Coniungitur autem fere simul anxietas, & thoracis constrictio, vt verba non sine molestia aliqua fieri queant. Quin &, non sine metuenda eiusmodi liquoris vitalis grumescencia, ab eiusdem præternaturali rarefactione, distendente nimium ventriculos, cor tremuisse constat. Id quod nonnunquam quoque occurrit, dum humor acris, pericardio inclusus, ex quo palpitationem ortam in disiecto quodam cadauere *Sylvius* annotauit, vel in coronariis vasis contentus, pungit fibras cordis, hinc spasmodice sese contrahentis, atque dilafantis, quemadmodum idem contingit in corde anguilla, corpore euulso, si acu compungatur.

§. 31. Alteram speciem morborum, quos cor primario patitur, constituunt CONTAGIOSI omnes. Vbi non possumus satis demirari dementiam, ad quam nonnulli peruenerunt, vt omne contagionis venenum inficientur, haud absimiles illis, qui poculum quoddam veneno temeratum, communem causam mortis pernegant, qua combibones occubuerunt. Mitius his quidem sunt tractandi, attamen non penitus excusandi, qui ab ideis, panico terrore consternatis, morbum produci asserunt, absque vilo miasmate spiritibus humoribusque communicato. At enimvero disparunt doctissimi viri has nebulas, plus quam Cimmerias tenebras intellectui eorum hominum obducentes, qui præiudiciis excæcati, quum in existentiam rei intimius penetrare nequeunt, eandem vel plane reprobant, vel chimæricis fabulis inuoluunt. Quemadmodum igitur certissimum est, emanare e corporibus, sive incendiaria infectis, aliquid subtile, per vicinum aerem dispersum, quod spiritibus & massæ sanguineæ communicatum, eam sibi reddit conformem; ita eiusdem indoles, omnes sensus subterfugiens, in obscuro adhuc latet, nisi a symptomatibus, quæ exci-  
tare

rare solet, argumentatio valeat ad particulas salinas, sulphureas, fermentificas, & non raro simul causticas ac arsenicales, quibus cum egregiam videtur habere convenientiam.

§. 32. Superius iam monuimus, ad concionatoris officium spectare, si ad ægrotum qualicumque morbo laborantem vocetur, ut illum visitet, & verbi diuini necitare animam ipsius reficiat, erigat, atque confoletur. Hanc ob causam non leue ipsi subeundum est periculum, quando febris maligna, vel alius contagiosus adfuerit morbus. Contactu enim isto, non tantum immediato, per manus impositionem, sed & mediato per aerem, effluuiis contagiosis ab ægrotto corpore emanantibus refertum, in poros per transpirationem, ut & in pulmones per inspirationem, & forsan cum saluam, in ventriculum, fit accessus miasmatum venenatorum, quibus massa sanguinea alterata similem morbum concipere potest, præprimis humoribus iamdum vitiosis in corpore latitantibus.

§. 33. Pulmonibus male habentibus, concionatores officium suum, quod in concionando consistit, difficilium, vel plane non obire possunt, cum præcipuum instrumentum sint pulmones, cuius efflatu per glottidem verba formantur. Non secus ac organon pneumaticum, cui ventus deficit, vel fistulæ cuidam aliquod inhæret vitium, nullum sonum, multo minus concinnam harmoniam musicam edere potest.

§. 34. Læditur itaque vox, vel ipsa simul laryngis, pro cuius diuersa constrictione ab aere transeunte sonus efficitur, præter naturam affecta, vel respiratione læsa. Hæc si fuerit difficilis in DYSPNOEA, & ASTHMAE, difficilem quoque vocis, & hinc sermonis usum præstat. Siue vel via aerea, vel ipsa expansio pulmonum impedimentum habe-

habeant. Vix, per quas aer transire debet ex pulmonibus, dicuntur bronchia, & aspera arteria, hæc si catarrhalibus defluxionibus laborent, nec non ob assiduum loquelæ usum, a crebriori aeris haustu arescant nonnihil; item si materia viscida trachæ quædam propagines annulares obstruantur, vt partes aeræ minus in totam pulmonum substantiam irruere possint, difficiliorem longe fieri necessum est respirationem. Ipsa quoque pulmonum expansio varias ob causas impediri potest, vt eadem in concionatoribus accidat respirationis difficultas. Solet enim nonnunquam, præcipue in asthmate, sanguis crassus, per arteriam pulmonariam, in vtrumque eorum lobum deportatus, onerositate sua aeris ingressum impedire. Non raro & ventriculus, in hypochondriacis & scorbuticis, a flatibus valde distentus, diaphragma versus superiora adigit, vt pulmones, cæterum sani, non satis spatii habentes sese libere expandendi, difficultatem in respirando sentiant, quam & cachexia, vel dispositione ad hydropem laborantes experiuntur.

§. 35. Rimula per intemperiem humidam laxata magis, vt stricturem ad vocem edendam necessario requiritam amittat, RAUCEDO præsto est. Etenim aer ex pulmonibus citra scissuram per patentiore rimulam prompte elabatur, vt nullus fere sonus fieri queat. Solet hoc malum potissimum hyberno tempore concionatores affligere, quo non solum a frigore intenso lymphæ funditur, & CATARRHALI FLUXIONI ansa datur, sed & aeris frigidioris particulæ hamatæ, exiguorum cultellorum in modum efformatæ, glottidem erodunt, vnde scissio aeris hispida, & inæqualis, vocem asperam producit, vt propterea, donec malum transeat, verba facere nequeant. Hoc etiam accidit, si in concionatoribus, per-

C

fre-

frequentem sermonis usum absumpta humiditate debita, fibrillis huius rimulæ lævis nitor detrahitur.

§. 36. Quamprimum particulæ eiusmodi salinæ, aculeatæ, siue a frigore pectori inimico collectæ, siue in ipso corpore congestæ, membranam sensilem bronchiorum pulmonarium irritant, natura hoc infestum sibi per *TVSSIM* expellere studet, ut ideo vehementi thoracis concussionē verba proferenda crebrius mutilentur & interrumpantur. Hoc morbo inter concionandum si corripiantur, sine maximo labore & difficultate ad finem perducere ceptam orationem minime possunt.

§. 37. A magno tali nisu, cui accensenda pectoris commotio ad claram vocem exprimendam, præsertim qui sunt tenerioris texturæ, & ubi salia in corpore abundant magis, sæpissime ruptionem, seu apertionem, vasis cuiusdam in pulmonibus experiuntur, ut cum tussi sanguis excernatur, atque ita *SPVTVM CRVENTVM* fiat. Hoc malum si in iuuenili ætate accidat, & semel iterumque maturo remediorum usu curatum, subinde tamen a concionando redeat, non raro inuitare solet eos, qui studio theologico addicti erant, ut mutata intentione aliud vitæ genus atque studium eligant, cui incumbant, ac illo postmodum, citra istam sanitatis iacturam, in officio Deo & proximo nihilominus seruire possint, id quod quotidiana in academiis confirmat experientia. Vbi enim fomes hæret in sanguinis mala diathesi, nullo negotio morbus recrudescit, interdum cum præsentanea vitæ iactura, particulis acutis ductus sanguiferos, per teneram pulmonum substantiam dispersos, vndiquaque perforantibus, ut vlcuscula orientur putrilaginosa, a quibus ad phthisin facilis est transitus.

§. 38. Cum sanguinis sputo puris sputum facile succedat, a puris vero sputo *Φθίσις καὶ πύρις*, teste *Coe VII.*  
*apbor.*

apud, §. 16. oriantur, nemini mirum videri potest, si PHTHISIS inter concionatorum morbos retulerimus, quæ ab exulceratis pulmonibus producitur. Huiusmodi putrefactionem vlcerosam promouet aer, corruptor re- rum, indefinenter inspiratus, qui admistas habens particulas heterogeneas tumultus facit, atque elasticitate sua discontinuationem solidæ vesicularum substantiæ procurat, particulis findentibus simul in motum abreptis. Adeoque phthisin generat, quicquid in molli pulmonum parenchymate vlcus excitare potest. Ad hoc in concionatoribus suum conferunt scorbutus, melancholia, quam Græci *σπρωχοειδία* appellant, catarhus, studia immodica, tristitia, & alia, quæ spiritus imminuant, & humores reddunt acriores.

§. 39. Quæ in supremo ventre, regio palatio facultatis animalis, vitia sanitatis occurrunt, ea in concionatoribus læsionem sensuum, vel motus inducunt. Et quidem sensus tam interni, quam externi, lædi in illis poterunt, præcipue qui magis ad officium eorum requiruntur, ex his subtiliores, visus atque auditus, ex illis memoria, & huic substratus sermo.

§. 40. VISVS vti sensuum nobilissimus & subtilissimus, ita ob lucubrationes, aliasque causas in concionatoribus varias læsiones subire potest, vt vel debilior fiat, præprimis in illis, qui inter legendum librum propius, quam par erat, oculis admouere solent, vnde debilitatur elater oculorum, & proportio distantiz retinæ ab humore crystallino ad obiecti visibilis ab oculo interuallum ita non amplius haberi potest. Vel plane aufertur visus in SVFFUSIONE, ab humoribus impuris vappescentibus ad coagulum dispositis deriuanda. Hæc autem vitia oculorum, vt plura taceamus, hypochondriacis & scorbuticis, quales sunt plerumque concionatores, familiaria esse consueuerunt.

C 2

§. 41.

§. 41. Non minus & AUDIRE frequentissime ad consentium Christianorum verba percipienda vtuntur, qui si minus se recte habeat, vel plane deficiat, quomodo absolutionem peccatorum ad confessionem diretam, quam auribus sentire nequeunt, proferre poterunt? Siue iam soni non immittantur, ob impedimenta in tympano, & meatu auditorio hærentia, vt sunt fordes, cerumen copiosius, item intemperies humida huius membranz, vel crassities, vt ad proportionem sonorum debite tendi non possit; siue immissi soni non percipiuntur, aliqua obstructione, & vitio in interna aure, eiusque cavitatibus hærente, vel neruo otico vitiato, vt inde surdastris euadant. Mitiori causa auditus difficultas oritur, id quod in defluxionibus catarrhalibus etiam obseruatur.

§. 42. TINNITVS quoque aurium molestus esse solet concionatoribus, vaporibus peregrinis & flatibus in interna aure genitis, vel aliunde illuc misis, qui motu suo, etiam leuissimo, eiusmodi sonitum producere possunt. Inprimis autem accidunt tinnitus aurium in hypochondriacis ab infimo ventre, in quibus alias flatibus peccare solent. Nonnunquam etiam imminentem apoplexiam prædicunt in illis, vbi ad hanc lympham vappescens, & extravasationem in cerebro minitans, dispositionem efficit.

§. 43. Reliqui sensus externi licet itidem non raro laedantur, cum tamen actiones, quæ officii sunt concionatorum, non impediunt, inter concionatorum morbos recenseri non merentur. Ex internis vero magis ad illos spectat MEMORIA, cuius ope conciones coram populo habere solent, itaque si hæc deficiat, vel non satis prompta sit, non nisi maiori cum molestia, & labore sermonem proferre valent, & ad finem perducere orationem.

Quid?

Quid? quod sæpe obseruatum, præsertim in non satis exercitatis iunioribus, quod ex timiditate, vel alia causa externa, memoriæ confusio acciderit, in media concione vt subsistere coacti nullum verbum amplius effari potuerint, sed orationis filum abrumpendum fuerit.

§. 44. Mittimus SOMNOLENTIAM & PERVIGILIVM, vtraque a lucubrationibus oriunda. Illa enim a lassitudine spirituum, propter vigilias prægressas, dependere solet; hoc vero a poris cerebri longiori fere consuetudine nimis dilatatis, & lympha per vigilias magis absumpta, vt postmodum spiritus animales tam facile irretiri nequeant, sed in continuo motu & actione versentur.

§. 45. Deuoluimur iam ad vitia loquelæ, non æque ab officii, & vitæ genere concionatorum deriuanda, nihilominus tamen iis multum negotii atque impedimenti facessentia. Hæc inter primario nominari debet BALBVTIES, qua qui laborant, literas quasdam resorbent, vel syllabam integram prætereunt, lingua sese non rite vibrante, ob paucos spiritus, eosque interdum confusos, in musculos linguæ fluentes. Et quæcumque hi simul elasticitatem suam amiserunt, quod etiam de neruis verum est, sermo magis læsus apparet, quatenus linguam, prout ad vocem formandam opus est, alleuare nequeunt, sed collabascere sinunt, vt syllaba vel litera supprimatur, quam reiteratis vicibus effari conantes, præcipitantia quadam vix, ac ne vix demum pronunciant. His associandi sunt, qui literam certam, v. g. K. L. R. S. non possunt pronunciare, in quibus vel in glottidis strictura vitium hæret, vel motus linguæ versus dentes primores, aut ad palatum impeditus est. Hæc, & quæ alia sunt vitia loquelæ vt plurimum a praua consuetudine ortum habent, quorum

aliqua corrigi possunt, diligenti studio adhibito, aliqua minus. Vnde postmodum ferendum, non culpandum, quod mutari non potest.

§. 46. Frequenter etiam VERTIGINE corripiuntur concionatores, in qua imaginatio affligitur. Etenim mens iudicare consuevit iuxta ideas a phantasia ipsi oblatas, quæ si obiecta externa, & corpora nostra gyrania repræsentant, certe ab anima non potest non ferri simile iudicium, vnde vertiginosi vicina apprehendunt corpora, quo tuti maneant a lapsu. Fiunt spectra hæc imaginationis deprauata a spiritibus in gyrum actis, qui a linea recta, naturæ magis conformi, deflectentes ad circularem vergunt, ob particulas heterogeneas, quæ ipsis admixtae tumultum faciunt, ut motu pacifico nequeant canales suos traicere, idque longe facilius accidit, spiritibus iamtum crassis, & debilibus in cerebro existentibus, siquidem illi motum semel impressum diutius retinere valent. Fouent autem hoc malum ieiunium, tempore hyemali aer frigidus, Hippocr. III. aph. 23. collocatio item in loco excelso, in quo qui constituti sunt, spirituum perturbationem facile experiuntur, ob innumera, quæ contemplantur obiecta. Nonnunquam morbus hic tanto cum impetu homines inuadit, ut eos ab actionibus suis retardet, quale exemplum ab Excellentissimo D. D. Wedelio Parente in *Pathologia medica dogmatica* Sect. III. cap. X. p. 612. refertur de concionatore, qui hypochondriacus vertigine tenebrosa & caduca laborauit, & propterea per aliquot annos e suggestu verba facere nequiuit.

§. 47. Sæpissime vertigo in concionatoribus prodromus solet esse APOPLEXIÆ, quæ cateruæ morborum prægressorum tristissimam vtplurimum imponit coronidem, simulque finem vitæ facit. Estque illa *uogelos*, quæ sensuum atque motus animalis infert ablationem plena-



plenariam. Quamvis vero in quibusdam casibus motus vitalis, in respiratione atque pulsu, saluus permaneat aliquantum; id tamen minime valet in gradu eminentiori, ubi in momento actiones omnes desinunt, & homo vitam amittit. Sicut autem apoplexia oritur, ab obstructione principii spinalis medullæ: ita ad hanc producendam præcipue in concionatoribus occasionem præbet expositio capitis aeri frigido, licet ipsa humorum, spirituum, nec non cerebri dispositio multum simul conferat. Si cusetur apoplexia, quod aliquando contingit, solet tamen facile altera, imo tertia vice quandoque redire, & tunc mors præsentanea insequitur.

§. 48. Communiter a *Devīs*, leuior *Hippocrati II. aphor. 42.* apoplexiæ dicta species, terminatur in APHONIAM, vel etiam ipsam PARALYSIN alterutrius lateris. Quantum vero hisce officii actiones in pastoribus laxantur, non eget prolixiori enarratione.

§. 49. Inter affectus præternaturales externos, qui aliquod dedecus personæ concionatorum afferre solent, merito FOETOR non solum reliquarum corporis partium, sed & præcipue oris recenseri meretur, quo ipso qui affecti sunt, inter alloquium illis, ad quos propius verba faciunt, fetente halitu molestiam creant. Hoc scorbuticis familiare est malum, a putrilagine lymphæ arcescendum, quæ sicubi subsistat, nonnihil crassior reddita, in ore, vel reliquo corpore putredinem suscipit, ut vitium capiunt aquæ, nisi moveantur.

§. 50. Non minus & SCABIES si adsit, præsertim manuum, ab acrimonia lymphæ, & impuritatibus sanguinis ad extimam corporis superficiem protrusis oriunda, morbus habetur, qui dignitati & officio concionatorum neutiquam conveniat.

§. 51. Quandoquidem SIGNA diagnostica & progn-

gnostica, vt & CVRATIONEM ipsam singulorum affectuum præternaturalium, qui concionatoribus accidunt, proluxo sermone pertractare, longum nimis foret, & dissertationis limites multum excederet; proinde ista prudentibus sanitatis consultorum iudicis noscenda, & perficienda relinquimus, ea solum hoc loco propofituri, quæ ex triplici fonte remediorum magis ad conservandam sanitatem, morbosque futuros præservandos aliquid conferre videbuntur.

§. 52. Ita e FONTE CHIRVRGICO se offert VENÆSECTIO, quæ posita indicatione, præservationis gratia tempore vernali, vel autumnali, in iis, qui sanguine abundant copiosiore, nec non vbi qualitate, aut motu idem peccat, vt hinc nisi euacuatio aliqua fiat, morbis variis ansa detur, non tamen citra speciale medici ordinarii consilium, adhiberi poterit. Neque tamen opus est, vt singulis semestribus, vel etiam annis reperatur eadem.

§. 53. Venæsectioni nonnunquam CVCVRBITVLÆ substitui possunt, quibus sanguis intra poros magis onerosus educitur. Vt taceamus FONTICVLOS, aliaque præsidia, pro subiectorum, temperamentorum & morborum differentia vsurpanda. In hernia SVBLIGCVLA adhibenda, quibus intestina intra suum locum contineri queant, accommodata.

§. 54. FONS PHARMACEVTICVS suppeditat, LENIENTIA, sicubi alius non respondeat debite, vt inde molestia percipiatur, in primis si inflationes, vel hernia adfuerint. Ibi enim aluum apertam esse, maxime conuenit. Eiusmodi sunt *folia senna electa*, quæ tam in puluere, quam decocto, & infuso officium faciunt, item *pilula lenientes aloetica, tartarea, martiale*, quæ vesperi ante cenam com-

commodè assumuntur, vt vna cum cibus confermententur, atque sic blandam operationem sequenti demum die præstent. Cauendum autem, ne nimio, vel crebriori *aleoicorum* vsu, præsertim *pilularum Francofurtensium*, tenesmus hæmorrhoidalis excitetur, vel etiam ipsa natura huic stimulo extraneo quasi adfuecat, nec absque eo in exoneranda aluo postmodum officium suum faciat.

§. 55. Præter lenientia etiam PURGANTIA nominanda, quibus siue in pilulis, siue puluere, aliaue forma adhibitis, eductio humorum peccantium e corpore peragitur. Horum occasione non possumus non curam quandam solennem illis, qui malo hypochondriaco, vel aliis affectibus chronicis, & facile recurrentibus affligi solent, instituendam laudare, qua vernali potissimum, atque autumnali tempore adhibita efficitur, vt causæ mediætæ proximiores, quæ dispositionem, & inclinationem corporis ad statum eiusmodi morbosum inferunt, corrigantur, & ipsa sanitas salua & incolumis reliquis tempestatibus persistat; vel saltem morbi ingruentes mitius paulo corpus affligere cogantur.

§. 56. Antequam autem purgatio instituitur, secundum *Hippocr. II. apb. 9.* fluxilia facienda corpora, ideoque præmita debent PRÆPARANTIA, quæ nihil aliud sunt, quam alterantia, aperientia, incidentia, tartaream amurcam resoluentia, obstructions viscerum reserantia, antiscorbutica. Hæc ipsa fere curam istam vernalem, atque autumnalem absoluunt, etiam post factam purgationem, si necessitas postulet, secundum medici ordinationem aliquando continuanda.

§. 57. Talia sunt instar omnium quasi medicamenta martialia, sicca quidem humidioribus, fluida vero forma siccoribus magis propinanda corporibus, v. gr. *pulueres caustici* aliique, ex *eraco Martis aperitiuo*, *conchis præparatis*, *oculis cancerorum*, *radice ari præparata*, *cinnabari nativa*, *antimonio diaphoretico*, *bezoardico martiali*, *vitriolo*

D

MAR

*Martis, tartaro vitriolato, cremore & crystallis tartari, hepatico ru-  
bro, quod etiam alias in impuritatibus sanguinis commo-  
de adhibetur, non omisis stomachicis, vt puluere stomachali  
Quercetani, aliisque. Tinctura item Martialis huc faciunt va-  
riæ, cydoniam, pomata, belleborum, cum arcano tartari, vel  
spiritu tartari remixtæ, Tinctura Martis balsémica, & aromati-  
ca, mixtura antiscorbatica martialis, variis aliis scopo aptis  
maritandæ, Tinctum aperitiua Mæbii; spirituosa quoque  
volatilia, vt spiritus cornu cerui, eboris, salis ammoniaci, quæ  
acidum fixius hypochondriacorum corrigunt, non ex-  
clusis ipsis etiam acidis, v. gr. spiritus salis, virioli, vel  
etiam spiritus nitri dulci, vt plura non laudemus.*

§. 58. His ipsis non tantum, quæ in inferiori ven-  
tre occurrunt, symptomata, sed & in reliquis ventribus ex  
eodem fonte scaturientia mala, vertigo, apoplexia, me-  
moriz debilitas, & sensuum aliorum vitia præcauentur,  
& curantur, cum totam massam sanguineam peruadant,  
ista remedia, eiusque morbosas dispositiones mature ex-  
stirpent, & viscerum sanguinis depurationi inseruienti-  
um tonum roborent. Hæc & alia medicamenta non  
tantum vere & autumnno, sed & aliis anni temporibus,  
si necessitas postulet, vtiliter adhiberi possunt, vti eti-  
am speciatim acidulæ, æstiuis mensibus debito regimi-  
ne vsurpatæ, ad curandum affectum hypochondriacum,  
aliosque morbos varios auerruncandos profuisse ob-  
feruantur.

§. 59. Cruditatibus, atque inflationibus carminati-  
ua auxilium ferunt, quæ præpterea in herniosis, & vbi  
adsunt tormina, optime profunt, interius adhibita, ef-  
fectua carminatiua D. D. Wedelii, Parentis, pulueres  
absorbentes & acrimoniam temperantes terrei, externe,  
simul oleis, v. gr. carminatiua Myrsinici, cum oleo amygdal-  
orum dulcium, vel hyoscyami expresso illitis, nec non factu-  
lis paregoricis discutientibus, ex chamomilla simplici, vel  
Romana, cum floribus, radice zedæaria, galanga, baccis lauri, tu-  
niperi,

niperi, semine lini, arisi, carui, sale communi, & aliis in vsum vocatis.

§. 60. Febribus malignis & contagiosis grassantibus commendari meretur concionatoribus, *europsis* *Opuluis preseruatius D. D. Wedelii, Parentis*, in officinis Pharmaceuticis nostris venalis proffans, de quo mane antequam aegri visitentur, quantum cultri cuspis capere potest, pro constitutione, & etate personarum, maior vel minor, in cereuisia calida vehiculi loco adhibita assumatur, id quod etiam vesperi in frigida repetatur, si opus fuerit. Ad hunc scopum simul quoque essentiam præseruatiam a medico adiungere facile est, vti v. g. *essentia myrrha simplex*, vel *balsamica*, *elixir proprietatis* nec non ipsa *tinctura bezoardica*, & *mixtum simplex* vniue hunc censum subire potest. Neque tamen omnino opus est, vt quotidie, & quidem bis adhibeatur horum medicamentorum vsus, sed sufficere potest, si in hebdomade bis, ter, quater, vel prout necessum videbitur, eiusmodi præseruatio instituat.

§. 61. Iud sedulo monere etiam atque etiam non intermitimus, vt simul ac notabilis aliqua corporis alteratio perferentiscatur, v. g. horripilatio, frigus, dolor, capitis, lassitudo spontanea, calor maior, & similia, illico absque vlla mora interposita, consilium & auxilium medici expetatur, ne cunctando præceps occasio bene agendi amittatur, & malignus morbus eiusque venenum altius radices agat, vbi postmodum non sufficit dicere, putaram, vel non putaram, sed mature, statim in principio fermentum istud febrile se exerens, debitis remedijs alexipharmacis adhibitis, dissipetur, dispellatur, & annihiletur. Eiusmodi recensentur *mixtura*, atque *pulueres bezoardici*, *tinctura bezoardica volatilis cum spiritu eboris*, vel *cornu cerui*, *liquor cornu cerui succinat*, vel *Euarium de ovo*, *disscordium Fracasorii*, *theriaca celestis*, & alia plura.

§. 62. In tussi, raucedine, & asthma a pulmonibus oriundo, pectoralia commendantur, *elixir pectorale*, cum *balsamo sulphuris anisato*, *spiritus salis ammoniaci anisati*, *pulueres pectorales*, *species diureos simplices*, nec non *linctus* ex *sirupis*, vel *looch* officinalibus compositi, inter quæ laudari meretur *looch de ferfara*, & *sirupus de crysimo Lobelii*, vbi magis materia viscida, lenta, ob tenacitatem minus sequax, propterea iisdem incidenda, atque resoluenda, causam constituit. Acribus vero, atque nimis tenuibus humoribus circa bronchia pulmonum peccantibus incrassantia, vt *sirupus dialibæ*, *papaueris rhæadæ*, *looch de papauere* &c. cum *speciebus diatrageantibus frigidis* conueniunt.

§. 63. Memoriz debilitati, vt & apoplexiæ metuentæ, præter superius laudata interna, exterius cerebrum, & spiritus animales roborantia, *essentia lauendule*, *spiritus salis ammoniaci oleosus*, *aqua Regina Hungaria*, *spiritus apoplectici oleosi volatiles*, *balsama odorifera*, *apoplectico*, *veruci illita*, atque naribus ad olfaciendum applicata opponuntur.

§. 64. Fœtorem oris, præter vniuersalia, & putrilaginem lymphæ corrigentia, balsamica antiscorbutica, interius assumpta, etiam externa masticanda bene odorata varia corrigunt, vt *myrrha*, *cubeba*, *radix ireos Florentina*; *trochisci* item *moschardini dicti*, seu *de catechu ambati* si in ore detineantur, emendare possunt ingratum illud oris vitium. Vna vero sic caput roborari, memoria confortari, & vitia loquelæ, quibus equidem medicamenta aliquod iuuamen afferunt, per hæc ipsa corrigi possunt.

§. 65. E tertio FONTE DIETETICO plurimæ promanant cautelæ, quibus obseruatis concionatores morbos varios præcauere poterunt. Ad vitalem diætam AER pertinet, absque quo vita salua perstare nequit. Huius alterationes inæquales quantum fieri potest, præcauere debent, muniendo corpus ab ipsius iniuriis, si frigidior sta-  
tus

tus fuerit, per vestimenta congrua, in primis quoad pedes, hinc & caput ipsum, atque collum, non exclusis reliquis ventribus, pectore & abdomine, a frigore defendendis probe.

§. 66. Nimis excalfacto corpore, & sudoribus promanantibus, non statim refrigerationem admittant, ne obstructis poris fermentatio præternaturalis in massa sanguinea oboritur. Omnis enim subita mutatio periculosa est, & naturæ inimica, id quod Alexander Magnus apud *Certium* exemplo suo confirmat, qui calidiore corpore in frigidam aquam ingressus, periculosa febre corripiebatur, *lib. III. cap. 5.*

§. 67. Tempore, quo febres malignæ, & contagiosæ grassantur, post piæ preces, debitum regimen, & intrepidum animus, ad visitationes ægrotantium, remedium ad præseruationem ordinatorum vsus maxime conueniens est. Antequam eiusmodi morbis ægrotantes visitent, prius suffitum facere iubeant in conclauis, ubi degit patiens, e *eburo, succino, myrris, vel bacis & frutibus iuniperi, gummi anima, corticibus thymiamatis, & aliis.* Etenim ignis aeris purgatorium esse solet, vt ita effluuia ista fermentifica, morbosa, per alia balsamica infruantur. Sub ipso ad ægrum accessu in ore *myrrham* detineant, vel etiam *cubebas, radicem zedoariæ, costum verum,* aliaue dentibus comminuant, sensim deglutienda, quibus omnibus vis aromatica & alexipharmaca inest, resistens putredinoso fermento, ne illud vires acquirat, & similem producat morbum.

§. 68. Conuenit præterea, vt non tam inferius ad pedes sedem capiat concionator, quam superius ad caput ægrotantis affidat, & post peractam visitationem singulis vicibus, manus aqua pura diligenter abluere nunquam intermittat, vel obliuiscatur, vt si quid illis adhæserit ex contactu miasmatis, mature illud ex poris auferatur, antequam intus ad massam sanguineam peruadat, ibique turbas excitet. Ita Dei auxilio, prudenti circumspectione adhibita a febribus malignis contagiosis salui & incolumes concionatores conseruari poterunt.

§. 69. Alias, quæ supersunt, a diuerso aeris statu oriundas mutationes sanitati minus congruas, vnusquisque pro tem-

D 3

pera

peramenti varietate obseruando, quid conducat ipsi, quid noceat, quantum fieri potest, & muneris ratio permittit., diligenter præcaueat.

§. 70. QUOD DIETAM NATVRALEM attinet, in CIBO & POTV, ne in quantitate, excessu, vel defectu, nec qualitate, nec assumendi tempore in suis consueto, aliquid committant, vt ex illo corpus male habere incipiat. Largiorem potum herbæ theæ intermittant, inprimis illi, qui ad cachexiam atque hydropem sunt dispositi; idem valet de vino absinthite, quod egregie quidem ventriculo conuenit, sed memoriæ nociuum existit. Neque fumum tabaci fugere, vel spiritum vini, seu aquam vitæ pituitare adfuescant, his ipsis enim facile languescit corpus; appetitus ventriculi emoritur, vox rauca euadit, vnaque absumptio humidi alibilis, & coaceruatio excrementitii plurimi in corpore produciuntur, vt hinc præter paulo ante laudatos morbos, cachexiam & hydropem, respiratio difficilis, phthisis, item memoriæ debilitas, & ipsa apoplexia non raro inducatur, licet iis delectati ad tempus ex eorum vsu bene habere, neque vllum incommodum, aut noxam inde percipere sibi met ipsis videantur.

§. 71. ANIMALIS quoque DIETA, reliquas res non naturales subministrans, debitis moderationis terminis subsistat, vt concionatorum sanitas conseruetur. Motus corporis nec in defectu, neque in excessu fiat, sed suaui ante plenariam delassationem spirituum, cum blanda quiete alternet, & interpoletur. Tempore quoque, quale est, si ante cibum instituat corporis exercitatio, modoque opportuno vtrumque debite obseruetur. Post cibum sumptum quies potius conuenit, vel motus solum leuior, ne peracta nondum concoctione chylus crudior extra ventriculum in vasa lactea præcipitetur, & inde scabies, vel alia mala postmodum enascantur.

§. 72. Sedendo potius, quam stando, studiis & meditationibus incumbant, ne duplici officio, ad cogitationes præstandas in cerebro pariter, ac ad erectum seruandum corpus, ne corruat, magis debilitentur, & delassentur spiritus animales. Sedendo enim, & quiescendo anima fit prudens, vt ait *Philosophus*, & ita studiis vacare melius poterit. Etenim per  
vitam



vitam sedentariam, mali hypochondriaci causam, medici minime intelligunt illam, quæ stationi, seu vitæ statarix contraria est, sed defectum motus innuunt. Magis etiam congruum sanitati foret, si sedentes in suggestu orationes publicas haberent ad populum, id quod nonnullis in regionibus ita fieri compertum est.

§. 73. Vt vox roboretur, neque tamen nisi isto concitatore peritonæi ruptura, & hernia accidat, non inconueniens est ligare, & fascia lationi nonnihil constringere abdomen, si habenda fuerit concio. Ita minori cum molestia & periculo filum orationis pertexere poterunt.

§. 74. Eadem ratio est SOMNI & VIGILIARVM, cum ex illius decurtatione, & harum excessu, non minus varix noxæ, & ipsum malum hypochondriacum propullulent. Vti alias, si quid accuratam, & concinnam proportionem, habet, per naturam magis gratum, & acceptum obseruatur, qua ipsa iuuatur, & quasi delectatur; ita etiam quam maxime circa sensuum cum interiorum, tum exteriorum affectiones accurata proportio requiritur, qua naturæ robur, & sanitatis integritas continetur.

§. 75. Dies naturalis viginti quatuor horis absoluitur, quod tempus in tres partes diuisum, optima proportione, & sanitati maxime congrua, vigiliis duas tertias diei, seu sedecim horas, ad exercendas necessarias functiones; somno vero vnam tertiam, seu octo horas; vt vires iterum restaurentur, & reficiantur, suppeditat. Si pauciores horæ somno impendantur, vti vulgo septem assignantur, vitatur ista proportio, & successiue labefactatur corporis valetudo prospera. Vitentur itaque lucubrationes, in multam noctem institui solitæ, ne ex hac causa morbosus status accersatur.

§. 76. EXCRETIONES animales, seu quas pro arbitrio aliquamdiu remorari possunt, tempore opportuno, ante concionem, etiam si non adeo vrgeant, instituant, ne postea ex necessitate vrgentes longius supprimi, & retineri debeant, sicque naturæ vis inferenda sit; alias enim tonus, & clater excernenda continentium, ob nimiam distensionem summe de-

bi

42  
bilitatur, & metuendum est, ne grauiora symptomata, vel Ty-  
chonis de Brahe exemplo, facta ruptione mors ipsa accidat.

§. 77. Naturalem vero excretionem, quæ per transpirationem insensibilem peragitur, ne vlla ratione, obstructis cutis poris, impediatur, operam dabunt. Hac enim sufflaminata, febres, ab intus cohibitis fuliginibus massam sanguineam præternaturaliter fermentantibus, oriuntur frequentissime.

§. 78. Quæ RETINERI debebant in corpore, ne citra necessitatem plus iusto profundant, vel emittere contentur, falsa quædam persuasi opinione, præ reliquis est sanguis, qui humor utilis citra necessitatem non est emittendus. Neque hæmorrhagia narium vi proritanda, nec hæmorrhoides absque naturæ ductu, præsertim in illis, quibus alias fluere non consuevere, per aloetica, aliaue stimulantia iis fortiora, largius & frequentius adhibita, ausu proprio, sæpe cum tenesmo maxime molesto superueniente, excitandæ, quoniam ex eiusmodi temerariis sanguinis profusionibus cachexia, atque hydrops sæpissime accidisse obseruata est, depauperato sic sanguine particulis sulphureis, balsamicis, & contra crudioribus, humidis excrementitiis, eius loco prædominium acquirentibus.

§. 79. Saliua quoque, cum sit humor quidem secretus per glandulas oris, non tamen utilis esse corpori desit, ideoque deglutienda potius in ventriculum, quam vt crebris exspuitionibus cum damno extra corpus eliminari debeat, ne debito humido ipsum corpus priuetur. Ex hac ratione facile etiam colligi potest, quid de eiectionibus saliuæ, per fumum tabaci haustum inquinatæ sentiendum sit. Differt saliuam quam maxime, & distingui debet a sputo, ita vt hoc crassius existens merito exspuatur, illa vero retineatur.

§. 80. Denique nulli AFFECTVVM ANIMI plus iusto indulgeant, ne vel sanguis, & spiritus nimis rarefiant, vel plus debito deprimantur, & concentrentur. Et quodcumque in officio aliquid occurrit, quod vehementius animi pathema excitare posset, sibi ipsis, quantum fieri potest, temperent, atque rationis fræno adhibito, affectuum habenas moderentur, ne ex hac parte secunda valetudo perturbetur.

SOLI DEO GLORIA.

OO A 6318

ULB Halle 3  
002 933 500



SB

VD 18

Reho ✓ V D 17





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Centimetres

Inches

N. I.  
 RATIO MEDICA  
 DE  
 R B I S  
 NATORVM,  
 ACVLTATIS MEDICÆ  
 MA SALANA  
 ONSENSU,  
 RESIDE  
 O HENRICO  
 DELIO,  
 MED. DOCTORE,  
 IALI SAXO - VINARIENSI,  
 E IENENSIS PHYSICO,  
 ÆCEPTORE SVO VENERANDO,  
 IOC A. D. 23. AVGVSTI,  
 TORIO MEDICO,  
 oris consuetis,  
 ORVM EXAMINI PROPOSITA  
 ENRICO SALMVTH,  
 IO - ANHALTINO.  
 A. & R.

CHRISTOPHORI KREBSII.

NO CIO 1800 VII.